



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Epistola Ferdina[n]di Regis ad Lainium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Designatur
inter Collo-
quutores
VVorma-
tenses.*

cus designatus est VVormatia: tempus Augusti mensis: Præsides Colloquij Rex Ferdinandus, & Principes quatuor, quorū Archiepiscopi duo pro Catholicis, pro Lutheranis autem Principes duo eius sectæ. Vtrinque certi assessores decreti: tum non ex vtraque parte collocutores: quibus item se accedebant tanquam subsidiarij, quos & vocabant Adiunctos. Inter Colloquutores Canisius miro consensu, plausuque Præsulum, Procerum Catholicorum: inter Adiunctos Nicolaus Gaudanus lecti Reclamabat Canisius non modò, quod totum negotij genus improbabat, seque, pro sua tenuitatis opinione, imparem profitebatur: sed etiam ne quid inconsultis Præsidibus suis, præsertim tanta in re, susciperet. Itaque non solum edocuit de re tota Lainium, sed magnoperè rogauit vt per eum liceret onus excutere: & Regem ipsum per Cardinalem Augustanum diserte admonuit nefas sibi iniussu Præsidorum suorum id munus atrectare. Itaque has ad ipsum Lainium Ferdinandus Rex literas dedit.

*Epistola Fer-
dinandi Re-
gis ad Lai-
nium.*

Notum tibi esse volumus, quod habita in his Comitibus cum Ordinibus, & Statibus sacri Romani Imperij matura deliberatione de inuestigandis

dis modis, quibus concordia sacrae religionis nostrae tentari queat, decreuerimus, & conuenerimus rursus Colloquium vtriusque partis institueret. Et quia inter alios doctos viros Catholicae religionis ad id delectos ex ista quoque Societate tua Nominis I E S V, duo viri deputati sunt, nempe honorabiles, docti, deuoti, nobis dilecti Petrus Canisius, & Nicolaus Gaudanus sacrae Theologiae Doctores, Te proinde benigne requirimus, vt non modo assentias, quod huiusmodi Colloquio intersint, verum etiam seruo illis iniungas, vt operam suam nobis, & statibus Imperij in re tam honesta, & sancta, quae ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & sanctae religionis nostrae, ac totius Christianitatis commodum pertinet, haud grauatim praestent. In quo facies rem, piam, & aequam, nobisque valde gratam, erga te, & Societatem tuam omni benignitate regia recognoscendam. Datum in nostra, & Imperij Ciuitate Ratisbona 15. Martij 1557.

Placuit Lainio, cum Pontificis voluntatem explorasset, Regi postulata concedi: quin etiam Canisium in praesens vetuit Ratisbona, nisi post absolutum conuentum recedere. Obedienter il-

Q 3

le im-

*vt Canisius,
& Gaudanus
Colloquio
Vvormaticae
interfuit.*